



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Cap. XI. Proponitur tertia sententia, tertiusque modus explicandi auxilium
gratiæ ad singula opera moralia necessarium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

tum ad omnes, & singulas operationes bonas bene moraliter faciendas, absque vlla circumstantia mala. Imò & contrariò, posse hominem lapsum per rationem, & liberum arbitrium cum communi concursu Dei sine alio auxilio specialis inspirationis, aut maioris motionis, quam sit natura debita, aliquod opus morale simpliciter honestum operari. Hæc est communis sententia aliorum authorum, quos supra retuli, & videtur mihi omnino vera. Fundamentum est, quia prædicta sententia ratione est destituta, & nulla supernaturali auctoritate fulcitur, hæc autem assertio, & ratione naturali efficaciter ostenditur, & est magis consentanea Scripturæ, & Patribus; ergo. Minor quoad priorem partem probatur, quia vnum opus morale honestum, non excedit lumen rationis naturalis, nec efficacitatem naturalem voluntatis liberæ, ergo possunt tales potentie conuenienter, & rectè intra ordinem naturalem, operari eum communi infuentia primæ causæ. Antecedens euidentius. Consequentia verò probatur, quia non semper, in omni tempore, loco, & occasione occurrunt impedimenta, quæ cogant, vel rationem ad iudicandum prædicè, vel voluntatem ad eligendum cum aliquo defectu erroris, vel malitiæ, vt explicabitur respondendo ad fundamentum contrariæ sententiæ.

Atque hæc ratio valde confirmatur in homine in puris naturalibus, quia incredibile est, non posse in illo statu facere aliquod opus naturæ suæ proportionatum, cum omnes res naturales hoc possint cum generali concursu; ergo cum eodem concursu idem posset homo, tum quia non est peioris conditionis, tum etiam quia ille status non ita postulat gratiam, sicut honestam operationem, quia operatio est debita secundum intrinsecam facultatem, & inclinationem naturæ; gratia verò minime, sed extrinsecus aduenit, non solum quando est supernaturalis ordinis, sed etiam vt esse potest speciale donum non debitum naturæ; illi additum intra eundem ordinem, vt ex dictis in proleg. 4. constat. Deinde potest idem confirmari ex dictis c. 1. & 2. de cognitione veri speculatiui, & practici. Nam rationes, quæ probant aliquam veritatem naturalem tam practicam, quam speculatiuam posse cognosci per naturales vires intellectus, cum proportionem probant bonitatem aliquam honestam ordinis naturæ posse fieri per naturales vires voluntatis, quantum est ex parte difficultatis. Quia licet regulariter frequentius occurrat difficultas in operando bonum, quam in cognoscendo verum, non tamen semper; imò aliquando difficilior est, cognoscere aliquod verum, quam aliquod bonum operari, & nihilominus vis rationis, & diligentia humana interdum superat illam difficultatem in veteri cognitione; ergo etiam poterit superare aliquam, quæ sapientius est, in volitione alicuius honesti boni.

Vltimum confirmatur ex fundamento contrariæ sententiæ, eiusque responsione. Nam difficultas fomitis, quæ in eo consideratur, non est talis, quæ singulos actus reddat moraliter impossibiles; ergo non potest inducere necessitatem gratiæ ad singulos actus. Antecedens videtur euidentius ipsa experientia, præsertim si sumamus actus honestos, parum, aut nihil repugnantes appetui, vt sunt v.g. honorare aliquando parentem, dicere aliquam veritatem, paruum elemosynam facere, & similes. Et licet appetitus repugnet, non semper cum vehemēti affectu, magnāve repugnantia; aliunde verò etiam voluntas habet naturalem, & maiorem inclinationem ad honestum; ergo pensatis omnibus, nulla est ibi impossibilitas moralis. Immerito autem queritur, cur debeat voluntas fieri in obiectum honestum? Quia honestas est ratio sufficiens, & si attentè consideretur, vt potest, multum mouet voluntatem. Prima autem consequentia probatur, quoniam illa duo quasi correlatiua sunt. Quia necessitas adiutorij specialis fundari non potest, nisi in impossibilitate actus respectu principij

Pars I.

tali adiutorio destituti. Igitur licet illud genus gratiæ vtilissimum sit, & ad supernaturales actus necessarium; respectu naturalium non habet necessariam connexionem quoad singulos actus. Quod autem hæc sententia sit etiam doctrinæ Patrum consentanea, in sequentibus ostendetur.

CAPVT XI.

Proponitur tertia sententia, tertiusque modus explicandi auxilium gratiæ ad singula opera moralia necessarium.

Post authores in tribus præcedentibus capitulis allegatos. P. Vasq. 1. 2. disp. 190. latissime defendit sententiam asserentem esse necessarium proprium auxilium gratiæ, per Christum datum, ad singula moralia opera naturalis ordinis. Et quanuis pro sua sententia referat omnes authores à nobis pro alijs opinionibus relatos, ipse tamen nouo quodam modo explicat hanc gratiam, quem ab alio antiquiore scriptore traditum non inuenio. Nam ipse non requirit in voluntate gratiam aliquam, vel motionem, seu actionem specialem Dei ad talem actum voluntatis præter concursum generalem, quia imprimis refutat motionem determinantem à Gregorio propositam. Deinde nec aliud principium per se physicum, præter voluntatem, docet esse necessarium, quia voluntas habet sufficientes vires causæ proximæ, & principalis respectu talis actus. Neque etiam postulat affectum aliquem simplicem, quæ præcedere in voluntate simpliciter necessarium sit; & merito, quia cum voluntas per se sit sufficienter proportionata tali actui, potest illum immediatè efficere, si obiectum illi conuenienter sit per cogitationem, & iudicium intellectus propositum.

Totam ergo hanc gratiam ponit in cogitatione sancta, seu boni honesti: nam hæc necessariò præcedere debet actum honestum voluntatis, cum nihil sit volitum, quin præcognitum: ideoque non est in hominis voluntate illam sibi præparare, cum antecedit hominis voluntatem, ideoque debet ab extrinseco agente provenire, à solo autem Deo preparari potest, & ideo illi tribuenda est. Quod etiam cognouisse videtur Aristot. lib. 7. Ethicæ ad Eudemum circa finem, ubi querit, an fortuna causa sit, vt quid, & quando oporteat concupiscatur. Respondetque affirmando, & declarando, causam illius fortunati effectus, non esse nisi Deum. Et primum probat, dicens: Neque enim consultans consultauit, & hoc consultauit, sed principium est quoddam, neque cogitans cogitauit id prius cogitare, atque in infinitum eiusmodi fiat progressio. Neque igitur considerandi, tum actum principium, neque considerandi, consilium. Quid igitur aliud, nisi fortuna? Secundum autem probat dicens. Patet autem sic esse, quemadmodum in vniuerso est, & vicissim cuncta in illo, mouentur enim omnia ab inexistente in nobis numine. Rationis autem non ratio, sed præstantius quoddam est principium, quid autem scientia præstantius est, nisi Deus.

Ex quibus verbis intelligi potest hoc procedere de prima tantum cogitatione, à qua consultatio, de actu honesto efficiendo incipit, siue in principio rationalis vitæ, seu vsus rationis, siue in cuiusque diei initio, vel quotiescunque homo aut à somno excitatur, aut de quacunque speciali deliberatione incipit cogitare, talis enim prima cogitatio reuera non est in potestate voluntatis, & ideo necesse est, vt à principio extrinseco proveniat, vt cum Aristotele docuit D. Thomas 1. 2. quæst. 9. art. 4. Nam intellectus potest moueri sine præuia motione voluntatis, voluntas autem, non potest moueri sine præuia cognitione intellectus, & inter cognitionem, & volitionem non potest esse processus in infinitum, ideoque necesse est sistere in prima cogitatione, quæ non sit à voluntate. Post primam autem cogitationem sufficientem, vt voluntas

Z 2 liberò

libere mouetur, iam tunc potest homo se ipsum mouere ad alia cogitatione, vel iudiciu, & consequenter ad alios actus bonos; nihilominus tñ quia in huiusmodi progressu prima cogitatio præit primam voluntatem, & hæc prima voluntas applicat intellectum ad secundam cogitationem, ex qua nasci potest secundus actus voluntatis, & sic deinceps; ideo omnes huiusmodi actus intellectus, & voluntatis, tandem ad Deum tanquam ad primum motorem reducuntur. Et simili ratione, si prima illa cogitatio pertinet ad Dei gratiam, etiam secunda bona cogitatio, licet proximè sit ex applicatione voluntatis, nihilominus etiam est ex gratia, quia illa prima voluntas, quæ applicat intellectum ad cogitationem sanctam, donum gratiæ est, & ideo secunda etiam cogitatio est gratia pro gratia, & sic de cæteris. Ideoque dicti authores totam hanc rationem gratiæ ad primam cogitationem sanctam, quæ in nostra potestate non est, reuocant.

4. *Potest tamē mediātibz causis secundis imitari.* Secundò est considerandum, nõ esse necessarium, vt Deus immediatè per se ipsum illam primam cogitationem immittat: nam potius in his actibus ordinis naturalis id rarum est, quia ordinariè hos naturales effectus operatur Deus per causas secundas, quando commodè fieri potest. Regulariter verò potest hæc bona cogitatio honesta, & naturalis excitari per obiecta sensibilia, naturale lumen intellectus mouentia medijs sensibus, ipsa verò obiecta interdum sensibus externis occurrunt per ordinarium cursum rerum, & causarum naturalium, & interdum per homines, vel Angelos possunt applicari, aliquando fieri potest hæc motio, media sola imaginatione, mota à phantasmatibus internis, excitatis etiam, seu applicatis vel per Angelos, vel per aliam causam naturalem humores corporis mouentem, vt idem Valseque generaliter explicat 1. 2. disp. 38. cap. 3. & specialiter de honesta cogitatione in dicta disp. 190. cap. 12. & in disput. 189. cap. 15. & 16. Quia verò & cursus ipse causarum secundarum, & ordo, ac dispositio earum, à quo procedit hæc excitatio intellectus ad honestam cogitationem, provenit etiam ex dispositione diuinæ providentiæ, & non sit sine actuali influxu ipsius Dei, ideo illi tanquam primario fonti illa cogitatio tribuitur. Hæc autem necessitas tota reducitur ad generalem concursum primæ causæ cum secundis, & ad providentiam etiam generalem Dei circa res omnes vniuersi. Vnde etiam fit, vt illa prima cogitatio honesta, in sua entitate naturalis sit, & per ordinarium cursum naturæ cum generali influxu, & providentia fiat, nihilque aliud requirit nisi aliquid speciale in ea inueniatur.

5. *Item potest sancta cogitatio non esse efficax aliquando.* Vnde est terriò considerandum, non ad omnem honestam cogitationem proponētem obiectum voluntati, vt recte velit, sequi statim actum voluntatis bonum & studiosum, sed interdum sequi, interdum non sequi, pro libertate voluntatis. Vnde fit, vt cogitatio honesta interdum esse possit congrua, interdum non congrua: congrua vocatur, quando habitura est effectum bonæ voluntatis: non congrua vero, quando stante illa non sequitur effectus. Vnde fit, vt ad eliciendū actum bonum moraliter, non quælibet honesta cogitatio satisfaciat, sed requiratur congrua, & accommodata, vt cum effectu determinet liberum arbitrium de se indifferens. Nam cum contingat, habere cogitationem honestam, & sufficientem ad operandum bonum, & non velle illud, vt diximus, profecto ad operandum cum effectu bonum actum, necessaria est cogitatio congrua. Talis autem cogitatio est donum Dei, quia non potest in nobis fieri sine operatione diuinā, & non est donum naturæ debitum, quia multis non datur sine vilo miraculo, & nihil immutando naturalem ordinem; ergo est donum Dei gratis datum, & hoc est gratia.

6. *Fundamentum.* Fundamentum præcipuum ex ipsa rei naturæ sumptum, & quasi necessario discursu elicitedum, est illud, quod ex ipsa declaratione opinionis statim patet. Et

declatur amplius ex differentia, quam D. Th. q. 14. de verit. ar. 14. considerat inter agentia naturalia, & libera; quod naturalia sunt determinata ad vnum, & ideo ex parte Dei solum requirunt ad suas actiones Dei cooperationem per generalem concursum, seu influentiam in ipsummet effectum, & actionem naturalis agentis. Agentia vero libera & rationalia, quia indifferentia sunt, indigent ante suam actionem, & præter concursum ad illam, aliqua causa mouētē voluntatem, quæ causa necessario esse debet extrinseca ipsi voluntati, quia eius motio antecedit omnem voluntatis actionem; ergo talis causa non est nisi Deus, vel immediatè mouens mentem, vel saltem per causas externas. Vterius vero motio illa antecedit, etiam est (vt sic dicam) indifferens, saltem generatim sumpta, quia interdum est congrua, interdum non congrua, quod autem talis, vel talis sit, non provenit ex industria, seu electione ipsius hominis bene operantis, quia illa motio antecedit eius voluntatem, & consequenter industriam, & electionem eius, nec etiam provenit casu, saltem respectu Dei; ergo provenit ex diuina providentia ita ordinante causas secundas, vt homines congruè moueant ad operandum bonum rectè, & omnino honestè. Hæc autem providentia nõ est homini debita ex vi creationis, quia saluo creationis beneficio, & toto ordine naturalis providentiæ, posset homo nunquam excitari congruè, sed ad summum sufficienter: ergo talis cogitatio est beneficium diuinum non debitum, sed præter debitam providentiam, & hoc est beneficium gratiæ.

7. *Fundamentum.* Huic autem fundamento additur aliud Theologicum, quod in hac materia primariū est, & prædictum auctorem induxit ad illum modum gratiæ admittendum. Illud vero est, quia necessario fateri debemus, omne opus bonum morale, cuiuscunque ordinis, gradus, seu qualitatis existat, esse ex gratia Dei, & in natura lapsa esse ex gratia Redemptionis Christi: sed pro singulis bonis operibus moralibus ordinis naturalis, non inuenimus, nec cogitari potest alius modus gratiæ, qui verisimili ratione ostendatur necessarius, vt probant adducta contra priores sententias: ergo necessario est dicendum, & illam cogitationem congruam esse veram gratiam, & esse necessariam ad bene operandum. Consequentia cum minori patet ex dictis. Maior autem probatur multis testimonijs, & rationibus ex illis deductis, quæ in sequentibus capitulis expendemus, vt illis etiā satisfaciamus, quia nonnulli iuniores conqueuntur, quod in 1. par. quasi illorum testimoniorum efficacitatem timendo, vnico fere verbo illa expediuerimus.

8. *Fundamentum.* Ex hac vero assertionem sic explicata inferunt primo defensores eius, esse necessariam hanc gratiam specialem ad omnia opera moralia: non solum in homine lapsa, sed etiam in puris naturalibus, & in homine lapsa sanato per gratiam habitualement, & in statu naturæ integræ, & originalis iustitiæ, imo etiam in Angelica natura. Ratio est, quia fundamentum necessitatis huius gratiæ commune est omni naturæ intellectuali creatæ, & locum habet in omni statu eius: quia illud fundamentum non est nisi necessitas præmotionis voluntatis liberæ, quæ moueri potest cogitatione congrua, & incongrua, quæ indifferentia, & necessitas communis est omni naturæ rationali, & omni eius statui, nec potest determinari quoad congruitatem antecedentis cogitationis, nisi à Deo, seu per eius providentiam, quæ nulli naturæ, vel statui viatoris est debita. Quia semper rationalis natura in omni statu est capax cogitationis congruæ, & incongruæ, & non potest alterutram sibi eligere, vel præparare, ergo gratis à Deo donatur, & ita est gratia.

9. *Interdictum.* Constituitur autem differentia in primis inter naturam rationalem ordinariam à Deo ad finem supernaturalem, vel tantum ad finem proportionatū naturæ. Quia si natura recipiens illud beneficiū cogitationis congruæ non sit ordinata ad supernaturalem finem; cogita-

cogitatio quidem illa erit gratia gratis data, distincta à beneficio creationis, quia non est debita ratione illius. Est tamen naturalis, quia neque in se, neque per ordinem ad finem ultimum, vel ad aliquem effectum excederet naturalem ordinem, sed solum in ratione indebiti beneficii, & ideo dicitur gratia naturalis. At verò in natura ordinata ad finem supernaturalem, & maxime in iustificata, illa cogitatio esset gratia supernaturalis, simpliciter loquendo, non ratione substantiæ, nec alicuius entitatis, aut modi physici, ut ex dictis est euidentis, quia in sua entitate, vel modo intrinseco nihil habet, quod non pertineat ad ordinem naturæ, & per naturales vires intellectus moti per species naturales fieri possit; sed dicitur supernaturalis gratia quoad quandam moralem modum, tum quia datur in ordine ad salutem æternam, & supernaturalem finem, tum quia esse potest principium vel supernaturalis meriti, si sit in homine iusto, vel aliquis initium, & dispositionis ad gratiam supernaturalem, si sit in homine peccatore. Quæ differentia, & ratio eius, tam in Angelo creato in pura natura propter suum finem naturalem, vel ordinato ad supernaturalem beatitudinem, quam in homine existente in natura integra pura ex parte finis, vel ordinato ad eandem supernaturalem beatitudinem, & creato in supernaturali iustitia, vel sine illa, intercedit, ut facile constat ex dictis.

10. In homine autem lapsio, prout nunc nascitur ex Adamo semper illa cogitatio congrua habet rationem gratiæ supernaturalis, quia talis homo, licet sit iniustus, ordinatus est ad finem supernaturalem, & ita omnis talis cogitatio propter eundem finem datur, & habitura est effectum conferentem aliquo modo, siue per modum meriti, siue per modum remotæ dispositionis ad consecutionem illius finis, vel supernaturalis salutis. Ultra hanc vero rationem gratiæ est alia specialior in homine lapsio, quæ neq; in statu puræ, vel integræ naturæ, vel innocentie, neque in Angelis inuenitur. Nam per originale lapsum tota natura humana facta est indigna omni cogitatione congrua bene operandi, & constituta est de se, in termino damnationis, ubi nihil bene operaretur, nisi per gratiam redemptoris præuenta esset, ne in termino illo relinqueretur. Et ideo auxilium talis cogitationis non tantum ad gratiam Dei, sed etiam ad gratiam redemptionis pertinet, quia nisi propter Christum remitteretur illa pœna, vel indignitas ex originali peccato contracta, non daretur talis cogitatio. Atque ita & in ratione gratiæ est specialior, quia non solum est concessio beneficii indebiti, sed etiam est remissio supplicij debiti, seu concessio boni, cuius carentiam homo merebatur: & in ratione etiam beneficii supernaturalis est specialius, quia est fructus redemptionis, quæ maximè supernaturalis est, & ideo omnis gratia Christi, quæ nunc datur hominibus, supernaturalis censetur.

11. Hæc autem differentia, quæ in homine lapsio consideratur, in Angelo locum non habet, quia post lapsum redemptionem non habuit, sed ad terminum damnationis immediatè post lapsum transiuit, in quo termino nullam congruam cogitationem bene operandi habet, quia nihil boni operatur, ut suppono. Posset autem differentia illa locum habere, & considerari in homine lapsio, post puram tantum, vel integram naturam, id est, in homine non ordinato ad finem supernaturalem, sed ad solum finem naturalem, qui post statum, in quo conditus est, mortaliter peccauit: ille enim etiam fieret indignus omni bona cogitatione congrua ad honestè operandum, consequenter loquendo in illa sententia, quia est eadem ratio. Et ideo cogitatio congrua, si postea illi daretur, esset specialis gratia intra ordinem naturalem, quia non solum esset non debita, sed potius eius carentia esset debita, & præterea de se ordinaretur ad remissionem prioris culpæ, & esset aliquis

Pars I.

via, vel dispositio ad illam, & ita esset gratia aliquo modo non naturalis, quia remissio peccati mortalis de se est opus non naturale. Vnde beneficium illud in se naturale, ordinatum ad finem aliquo modo supernaturalem, etiam esset specialior gratia in ratione supernaturali, quam si daretur homini puro, vel integro nondum lapsio. Et hæc tenus de hac opinione quoad exactam declarationem eius.

C A P V T XII.

An cogitatio honesta, quæ habet effectum bonæ voluntatis, sit semper melior, quàm illa cogitatio, quæ illum effectum non consequitur.

Q Via superior opinio multa includit, ex quibus aliqua vera esse censemus, alia distinctione indigere, alia verò non placent, & inter ea, quædam possunt de solis vocibus, alia de re ipsa disensionem continere; ideo priusquam in principali puncto nostram sententiam proponamus, operæ pretium duximus omnia prædicta diligenter expendere, & non solum rem, sed etiam verba, & eorum usum exponere, quoniam ad intelligendam doctrinam Patrum, & Conciliorum, de necessitate gratiæ multum referre existimamus. Cum ergo præcedens opinio totam necessitatem gratiæ in cogitatione honesta, naturali, & congrua constituat, de illa prius in hoc capite considerabimus, qualis in se sit, & quomodo à Deo procedat, quatenus congrua est: in sequenti autem videbimus, an veram rationem gratiæ habeat, vel habere possit. Primò ergo certum esse statuimus, Deum non solum operari ad actus honestos naturales voluntatis, cooperando cum illa, id est cōcurrente ad ipsam actionem volendi honestam, per modum causæ primæ, sed etiam antecederet, mouendo voluntatem medio obiecto honesto, per conuenientem cogitationem proposito. Itaque sicut infra de operibus proprijs gratiæ supernaturalis dicemus, requiri ad illam excitans, & cooperans auxilium, ita cum proportionem intelligi debet ad honestum velle, necessarium esse, & conuenientem concursum, & præuiam motionem medio intellectu, per cogitationem eius.

Hoc apertè tradit D. Thomas quæst. 109. artic. 1. & quæst. 24. de Verit. artic. 14. Capreol. in 2. distinct. 29. Idem dicitur artic. 1. Hispanens. distinct. 28. quæst. 1. art. 3. notab. 2. & auctoritate, sequentib. & Abulens. in cap. Matth. 19. quæst. 178. ad 6. Vbi rectè aduertit, illa duo, scilicet cooperatione, & pramotionem Dei ex diuersis principijs esse necessaria, & ideo etiam diuerso modo in Deum reduci. Nam cooperatio Dei est necessaria ob dependentiam essentialem, quam omnis entitas participata habet ab ente per essentiam, & hinc est, ut illa cooperatio necessariò sit immediatè ab ipso Deo in genere causæ primæ, quia dependentia illa essentialis dicit immediatam habitudinem ad Deum. Vnde etiam fit, ut necessariò conueniat omnibus, & singulis bonis operibus voluntatis. At verò pramotio Dei, quæ est per cogitationem honestam, non fundatur in essentiali dependentia actuum voluntatis à Deo, sed in naturali ordine facultatum intellectus, & voluntatis, qui prouenit ex naturali conditione voluntatis, quæ non potest moueri, nisi ab obiecto præcogitato ab intellectu.

Ex quibus intelligitur, necessitatem huius motionis præuiæ respectu actus voluntatis vltra intrinsecum concursum cooperantem Dei, non esse propriam actuum bonorum, sed in malis etiam reperiri. Quia etiam volitio turpis procedit ex cogitatione aliqua, quæ voluntatem inducat ad talem actum; nam voluntas non minus in malis actibus, quam in bonis pendet à cogitatione intellectus, quia non magis potest ferri in malum non præcognitum, quam in bonum.